

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Diurnale chori Sive Horae diurnae Breviarii Romani

[S.l.], 1745

[Var. Oration.]

[urn:nbn:de:bsz:31-139978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-139978)

VAR. ORATION.

1023

AD NONAM,

Antiph. Speciôsa facta es.Capitulum. *Eccli. 24.*

Qui audit me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *R.* Deo gr̃atias.

R. br. Speciôsa facta es, * & suavis.*R.* Speciôsa facta es.*V.* In deliciis tuis sancta Dei Génitrix.*R.* Et suavis.Glória Patri. *R.* Speciôsa.*V.* Elêgit eam Deus, & praelêgit eam.*R.* Et habitare eam facit in tabernaculo suo.*In II. Vesp. omnia ut in I.**Ad Magnificat, Antiph.* Beata es Maria 681.*Oratio ut supra.**Commem. seq. & Octav.*

ALIÆ ORATIONES

Die VI. Martii.

IN FESTO S. FRIDOLINI CONFESS. Semidupl.

Oratio.

Beati Confessoris & Sacerdotis tui Fridolini, quæsumus Dómine, supplicatióne placatus, & veniam peccatorum nobis tribue, & remédia sempiterna concede. Per Dóminum nostrum.

Die XXIV. Aprilis.

IN FESTO B. FIDELIS A SIGMARING. CAPUCIN. MART.

Oratio.

Deus, qui B. Fidèlem Seraphico Spirítus ardore succensum, in veræ fidei propagatióne Martyrii palmá & gloriósis miraculis decorare dignatus es: ejus, quæsumus, méritis & intercessióne ita nos per gr̃atiam tuam in fide & charitate confirma, ut in servitio tuo fidèles usque ad mortem inveniri mereámur. Per Dóminum.

Die IV. Julii.

IN FESTO S. UDALRICI EPISC. & CONF. DUPL.

Oratio.

Deus, qui conspicias, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concede propitius; ut intercessióne B. Udalrici Confessoris tui atque Pontificis contra ómnia adversa muniámur. Per Dóminum.

Die

Die XIII. Julii.

IN FESTO S. HENRICI IMPERAT. & CONF.

Oratio.

Omnipotens & misericors Deus, qui à glória tua nullam conditionem excludis: te suppliciter exoramus, ut sicut Beato Henrico Confessori tuo post terreni culmen Imperii, coelestis Regni solium contulisti, ita méritis ejus & precibus, nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dñum.

Die XVII. Septembris.

IN FESTO SS. LAMPERTI & ALEXANDRI

Civit. Friburg. Patron. Prim.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine, Beatórum Martyrum tuórum Lamperti & Alexandri solemnitatibus gloriari: ut eórum semper & Patrociniis sublevemur, & fidem congruá devotióne sectemur. Per Dominum.

In suffragiis locò, Solemnitatibus, dicatur Commemorationibus.

HYMNUS.

Ad B. V. M. pro averrenda Lue pestis.

Stella Coeli extirpavit,

Quæ lactavit Dóminum.

Mortis pestem, quam plantavit

Primus parens hóminum.

Ipsa stella nunc dignetur

Sydera compescere,

Quorum bella plebem cædunt

Diræ mortis ulcere.

O Gloriosa stella maris,

A peste succurre nobis.

Audi Maria, nam te Filius tuus

Nihil dénégans honórat.

Salva nos Iesu, pro quibus

Virgo Mater te orat.

V. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus misericordix, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui miseratus es super afflictionem populi tui, & dixisti Angelo percutienti populum tuum: contine manum tuam ob amorem illius stellæ gloriósæ, cujus ubera pretiosa contra venenum delictórum nostrórum, quàm dulciter suxisti: præsta auxilium gratiæ tuæ, ut ab omni peste, & improvísá morte securè liberemur, & à zotius perditionis incursu misericorditer liberemur: Per te Iesu Christe Salvátor mundi, qui vivis, & regnas in sæcula sæculórum.

✠. Amen.

F I N I S.

